

SCRIPTA

Numéro Scripta : 848

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Richard Wace, Bayeux (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1200, 24 juin

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, confirme une convention faite entre deux chanoines en désaccord sur quelques dîmes des églises de Colombières et de Bricqueville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LVI, t. 1, p. 73-75.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit, Henricus, Dei gratia episcopus, et capitulum Baiocense, perpetuam in Domino salutem. Universitati vestrae notum fieri volumus quod, cum querela verteretur inter Ricardum Wacii, canonicum nostrum, et Hugonem Labe, presbyterum, super quibusdam decimis, tam ad ecclesiam de Columberiis quam ad ecclesiam de Brichevilla pertinentibus, quas alter eorum contra alterum sibi vindicare volebat, tandem discretorum consilio lis illa amicabilem conquievit in hunc modum : ipsi percipient decimas illas aequaliter partitas, frugum scilicet et lini, et canabi, sitas videlicet a domo Willelmi de Alneto usque ad domum Richeri Legendre, et a domo ejusdem Richeri usque ad domum Dami, et a domo ejusdem Dami usque ad viam Baiocensem, et a via Baiocensi usque ad domum Willelmi de Alneto, ita tamen quod tota decima filiorum Carpentarii infra dictos terminos sita, ecclesiae de Columberiis in perpetuum remanebit. De decimis vero, ultra viam Baiocensem sitis, quaelibet ecclesiarum dictarum partem suam, sicut habebat antequam carta ista fieret, possidebit. Omnes quidem parrochiani, qui manent inter ecclesiam de Brichevilla et domum Richeri Legendre (sic), et domum Dami, et omnes decimae illius territorii, remanent in perpetuum ecclesiae de Brichevilla. Quicumque vero in feodo de Columberiis mansionem habuerint, erunt semper parrochiani ecclesiae de Columberiis, et quicumque similiter in feodo de Brichevilla mansionem habuerint, ecclesiae de Brichevilla erunt in perpetuum parrochiani. Decimatores etiam, qui dictas decimas colligent, ex utraque parte fidem praestabunt se decimas illas fideliter conservare, et cuilibet ecclesiarum praescriptarum partem suam, scilicet medietatem sine ulla diminutione, tradere. Praeterea, ecclesia de Columberiis de omnibus parrochianis suis, infra dictos terminos manentibus, omnes obventiones et decimas ad altaragium pertinentes, praeter decimas frugum, et lini, et canabi, integre in perpetuum possidebit. Ecclesia vero de Brichevilla similiter de parrochianis suis, ibidem manentibus, obventiones et decimas ad altaragium pertinentes habebit. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo, in festo sancti Johannis Baptistae. Volentes autem ut, quod sollempniter actum est, firmitate perpetua gaudeat in posterum, id praesenti carta, sigillis nostris munita, dignum duximus confirmare.